

/ Ill/me et R/me D'ne ~~id~~. in Christo obser/me

In rebus arduis, post recursum ad Dominum Nostrum factum serio, putavi mihi licere etiam eos amicos interim interpellare, quos scio gloriam ejusdem Dei opt. max. cordi habere. Inter quos, cum sit cer-
5 tus Ill. ac R/ D. primariam esse, et meam quasi parentem in Christo, aperiam paucis quid in animo habeam.

Anno hoc, Deo juvante statutum est progredi in structura templi cujus fundamenta praeterito prospere finita sunt, adjuvante populo apud quem ostiati mendicavimus cum sociis, comitantibus aliquot pro-
10 ceribus. Nunc latea^r usque ad tectum optaremus producere. Quare opus erit alia forma mendicationis honestiore, in qua multum nos juvare poterit insignis vir D. Theodorus Scotus semper in nos benevolus, et optime de Societate nostra meritus, in pietate et litteris praeclarus, ac instar Aaronis in hac Republica. Is magna prole gravatur
15 quam studet inducere, ut suo tempore vestigia sua sequatur. Filium habet quam obtulit Ecclesiae Dei servitio praeclara indole et aliis donis ornatum, aspirantem ad ecclesiasticum statum. Hic si promoveri posset ad aliquem canonicatum vacantem in Belgio, quocunque in loco, qui ad suae Sanctitatis collationem spectat, incitabitur parens ut
20 rebus nostris impensius faveat, cum se viderit ab Ill/ma ac R/ma D. V. tanto affectum honore. Non hoc peto tanquam operae pretium quam ab illo bono nostro Mecenate expectamus, sed ut tam laudabilis filius alicui Collegiatae Ecclesiae sit ornamentum. Unicum Ill. ac R/mae D. V. verbum isthic apud eos factum qui attendunt ad jura Pont. Max/i
25 conservanda, prouduet spero felicem et optatum effectum; nosque omnes obligabit ut preces et sacrificia sancta pro vestra incolumitate Deo opt. max/o perpetuo offeramus. Bruxellae die 26 Januarii anni 1615.

Ill/mae ac R/mae D. V.

Servus in Christo

Thomas Saillius

30

Spero alias meas obiter nuper scriptas, et felicem hunc annum Ill/ae ac R/mae V. imprecantes, redditas esse.